



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Additio III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

parvitas nostræ vires excessit, quoniam nec otium nec spatium temporis nec plenitudinem consacerdotum nostrorum, sicut ipsa necessitas exposcebat, habuimus, ideo hæc congruentiori & aptiori tempore, vita comite, si Deus ita annuerit, tractanda ac consideranda distulimus quoniam tantæ considerationis perfectio indiget assensu & adiutorio Principum & multitudine atque devotione necnon & studio sacerdotum & obedientia vel concordia populi & congruentia loci temporisque

spatio. Porro de episcopali libertate, quam Deo annuente veltróque adminiculo suffragante adipisci ad Dei servitium peragendum cupimus, suo in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus, quatenus ita sit, ut & nosmet ipsos salvare, populóque nobis subiecto utiliter prodesse, atque pro vobis & stabilitate imperij vestri liberius valeamus exorare, & de vestris obsequiis & regni adiutorio solatium debitum minime subtrahatur, sed, si possibile fuerit, potius augeatur.

## ADDITIO TERTIA.

Hæc capitula propriè sunt ad Episcopos vel ad ordines quosque ecclesiasticos pertinentia, quæ non solum observare, sed etiam sibi subiectis vel commissis facienda perdocere debent.

1. **D**E rebus Ecclesiæ.
2. *Ut Episcopi per electionem clero- & populi vita merito & sapientia eligantur.*
3. *De canonica professione à multis deturpata.*
4. *Quòd Episcopi in Longobardia positi ab eis quos ordinabant sacramenta & munera exigere solerent.*
5. *De capitulis quæ de incestis nuptiis & aliis causis agenda essent.*
6. *De causa monachorum, quibus eligendi sibi Abbates licentia data sit ex se ipsis.*
7. *De his qui à proprio Episcopo non accipiunt christiana.*
8. *Ut nullus nisi iusto iudicio expolietur.*
9. *De eo qui post veritatem repertam aliquid deinceps discatur.*
10. *De causis quæ lege non continentur à iudicibus ecclesiasticis minime iudicandis.*
11. *De conversatione accusati vel accusatoris.*
12. *De his qui Christiani nominis honorem neglexerunt.*
13. *Ut oblationes in domibus ab Episcopis vel Presbyteris non fiant.*
14. *Quòd posteriore pacto omne pactum dissolvatur.*
15. *De accusatoribus de inimici domo procedentibus.*
16. *De fratrum provisione, ne irrationabiliter fiat.*
17. *De Clericis qui in seditione arma volentes sumpserunt.*
18. *Quòd lex Imperatorum non sit supra legem Dei.*
19. *De confessione peccatorum in oratione Deo cotidie agenda.*
20. *Quòd spiritualis examinet omnia, & ipse à nullo examinetur.*
21. *Ut tempore menstruo ab uxoribus abstinereatur.*
22. *De his qui erga Episcopos vel erga actores Ecclesiæ aliquam querelam justam habuerint.*
23. *De potestate ligandi atque solvendi concessa sacerdotibus à Christo.*
24. *Ut Presbyteri qui sine præcepto Episcoporum ad externas Ecclesias transferunt, à communionem suspendantur.*
25. *De eo qui sibi iudicem contrarium senserit.*
26. *De pace & concordia & unanimitate.*
27. *De potestate Episcoporum pro rebus ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.*
28. *De injuria Episcopi & letania subversa.*
29. *De decimis.*
30. *Ut Ecclesiæ pacem habeant.*
31. *De intestato Episcopo.*
32. *Iterum de pace Ecclesiarum.*
33. *De beneficiis ecclesiasticis.*
34. *De ordinibus sacris.*
35. *De oblatione & pace in Ecclesia facienda.*
36. *Ut malum ebrietatis omnino vietur.*
37. *De multitudine Clericorum.*
38. *De spiritualibus filiis.*

39. *Vt canticum luxuriosam circa Ecclesias deferatur.*
40. *Quales sint Clerici.*
41. *De Episcopis & Abbatibus, ut ante se joca turpia fieri non permittant.*
42. *De iustis judiciis ab Episcopis agendis.*
43. *De Clericis qui de Ecclesia desistunt.*
44. *De monachorum & Canonicorum militia cum consilio utiliter implenda.*
45. *Viduas in delictis non oportere vivere.*
46. *Vt Clerici non habeant actiones seculares.*
47. *De eo qui contra canonica statuta egerit.*
48. *De eo qui res Ecclesie per falsam precariam vel fraudem adipiscitur.*
49. *Quod antiquus mos ponitendi, qui iuxta canonicam auctoritatem agendus est, jam ab usu recesserit.*
50. *De Clerico ad tutelam vocato.*
51. *De Ecclesiis in rebus propriis constitutis & inter heredes divisis.*
52. *De his qui bis aut ter ab Episcopis confirmantur, ignorantibus tamen eisdem Episcopis.*
53. *De Clericis ad tabulas ludentibus.*
54. *De his qui fervorum matrimonia dirimunt.*
55. *De his qui pleniter peccata non confitentur.*
56. *De sanctis Ecclesiis.*
57. *De his qui solummodo confiteri Deo peccata debere dicunt.*
58. *Quod personarum acceptio in omnibus cavenda sit iudicis.*
59. *De monachis & sanctimonialibus.*
60. *Quod multi in penitentia delictis indulgeant.*
61. *De his qui ex industria peccant.*
62. *De monacho qui monasterium suum dimiserit.*
63. *Quod penitentia secundum canonam statuta agi debeat.*
64. *Quod quidam Presbyteris absque consensu Episcoporum Ecclesias dent vel auferant.*
65. *De Scottis, qui se Episcopos esse dicunt, & quosdam absque licentia dominorum suorum ordinant.*
66. *De monachis laicis.*
67. *De his qui in Cena Domini eucharistiam negligunt.*
68. *Quod infirmi & egroti oleo benedicto perungendi sint.*
69. *De sponso vel sponsa in monasterio ingressa.*
70. *De locis in quibus Missæ celebrandæ sunt.*
71. *De his que ad aurium & oculorum pertinent oblectamentum, quæque sacerdotes vitare debent.*
72. *De Ecclesia edificanda.*
73. *Vt sacerdotes à ludis secularibus se caveant.*
74. *De Presbyteris & Diaconibus, ut Episcoporum suorum in bonis operibus vestigia sectentur.*
75. *De eo qui in domo sua oratorium fecerit.*
76. *Quantam curam Episcopi circa indigas habeant.*
77. *De erogatione Episcopi in pauperibus & familia Ecclesie.*
78. *De Diaconissa.*
79. *De Presbytero non ordinando ante legitimum tempus.*
80. *De Episcopis, qualiter parrochias suas diligenter perscrutentur.*
81. *De religiosa muliere decepta.*
82. *Vt decime semper consulto Episcoporum dispensentur.*
83. *Ne quilibet Presbyter de titulo minore ad majorem transeat.*
84. *De blasphemia in Deum.*
85. *De viduis juvenibus, ne cito velentur.*
86. *Vt Comites & iudices Episcopis suis consentiant, ipsique eos honorificè recipiant.*
87. *De herede, si quippiam dispositione non implet.*
88. *Vt Comites & iudices viles personas non admittant ad testimonium.*
89. *Vt nullus Christianus munera exigat pro quolibet placito.*
90. *De rebus quæ paganis non concedantur.*
91. *De placitis secularibus, ne in Ecclesia fiant.*
92. *De incestuosis, parricidis, atque homicidis.*
93. *De magicis artibus & incantationibus.*
94. *Ne nomen Dei in vanum jurando assumatur.*
95. *De laicis, ne munera à Presbyteris exigant.*
96. *De pace & concordia.*
97. *De Comitibus & iudicibus, ut obediētes sint suo Episcopo.*
98. *Vt Episcopi semel in anno parrochias suas circumeant.*
99. *De christmate à Presbyteris custodiendo sub sigillo.*
100. *De his qui beneficium habent de rebus Ecclesie.*
101. *De eo qui infamis furto efficitur.*
102. *De eo qui absens fuerit minime damnando.*
103. *De omnibus possessionibus à præceptore possessori reddendis.*

104. De incestis, quod non sint legitimi heredes.  
 105. *Ut liceat litigatori vitiatam causam appellationis remedio subleuare.*  
 106. De oratione obedientis.  
 107. *Ut unaqueque provincia à iudicibus propriis iudicetur.*  
 108. Quod unumquemque iuste & pie vivere oporteat.  
 109. De gratia prolatore, ut eam adfirmet.  
 110. Quod sacerdos in habitu religionis persistere debeat.  
 111. De eo qui causam habuerit, ut à propriis iudicibus iudicetur.  
 112. De Canonico Clerico qui in civitatibus vel in monasteriis degent.  
 113. De communicatione Ecclesie cum nihil habentibus.  
 114. De his qui sua possident, & sibi aliquid dari volunt.  
 115. De damnatis nuptiis.  
 116. *Ne proprius filius de baptismo suscipiatur.*  
 117. De subintroductis mulieribus.  
 118. Iterum de pace Ecclesiarum.  
 119. De fugitiuis Clericis.  
 120. Quid sint letanie.  
 121. De Clericis iniuste tonsoratis.  
 122. De eo quid sit relinquere mundum.  
 123. Quod incestam committit qui se consanguineæ suæ usque affinitatis lineam coniungit.  
 124. *Ut incesti, quandiu in scelere manent, non fidelium Christianorum, sed tantum aut gentiliū aut catechamenorum vel energumenorum locum teneant.*

INCIPIVNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

*De rebus Ecclesie.*

I. 77. I. **Q**uia juxta sanctorum patrum traditionem novimus res Ecclesie vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cui non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus; tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus ullius Ecclesie suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus divisionem aut jacturam patiantur.

*Ut Episcopi per electionem cleri & populi vite merito & sapientie eligantur.*

V. 78. II. Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, adensum ordini ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum de propria diocesi, remota personarum & munerum acceptio-  
 ne, ob vite meritum & sapientie donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subiectis usquequaque prodesse valeant.

*De canonica professione à multis deturpata.*

I. 79. III. Quia verò canonica professio à multis, partim ignorantia, partim desidia, deonestabatur, operæ pretium duximus, Deo annuente, apud sacrum conventum ut ex dictis sanctorum patrum, velut ex diversis pratis, quosdam vernantes floscu-

Tom. I.

los carpendo tractando in unam regulam Canonicorum & Canonicarum congregere, & Canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ita etiam laudibus extulit ut usque ad unum iota observandam percenseret, statuimus ut ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur & modis omnibus sive à Canonicis sive à sanctimonialibus canonicè degentibus deinceps observetur. Sed & de Ecclesiarum honore, quomodo, Deo adjuvante, quantum in nobis est, vigeat, similiter in subter adnotatis capitulis insertum esse dinoscitur.

*Quod Episcopi in Longobardia positi ab eis quos ordinabant sacramenta & munera exigere solerent.*

IV. De Episcopis verò in Longobardia I. 91. constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibita est ne ulterius fiat; quia, juxta sacros canones, uterque à gradu proprio talia facientes deici debent.

*De capitulis que de incestis nuptiis & aliis causis agenda essent.*

V. Nonnulla verò capitula, sicut de I. 104. incestis nuptiis, necnon & de Ecclesiis quæ inter coheredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis quæ nimium rebus propriis sunt adtenuatæ, vel certè de his rebus quæ

DDdd ij

nuper necessitate compellente à nonnullis Ecclesiis sunt ablatae, & si qua sunt alia sive in ecclesiasticis sive in publicis rebus emendatione digna, quæ temporis brevitate efficere nequimus, in tantum differendum illud dignum judicavimus donec, Domino favente, consulto fidelium facultas nobis id efficiendi ab eo tribuatur. Inventa verò, ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, hic inferenda censuimus.

*De causa monachorum, quibus eligendi sibi Abbates licentia data sit ex se ipsis.*

I. 87. VI. Monachorum siquidem causam qualiter, Deo opitulante, ex parte disposuerimus, & quomodo constitutum fuerit, ex se ipsis sibi eligendi Abbatis licentiam dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti vivere propositumque suum indefessè custodire valeant ordinaverimus, in alia scedula diligenter adnotari fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret & inviolabiliter conservaretur confirmavimus.

*De his qui à proprio Episcopo non accipiunt chrismata.*

VII. Si quis de alio chrismate quam de illo novo quod proprii Episcopi largitione vel concessione accipit baptizare, nisi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

*Ut nullus nisi iusto iudicio expolietur.*

VIII. Non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus. Ideo, nisi iusto iudicio decernente, nullus expolietur.

Inl. I. in ep. 2. ad Oriental. c. 8.

Concil. Rom. V. sub Symmacho.

Burchard. lib. 1. c. 144.

Ivo par. 5. c. 257.

Gratian. 2. q. 2. c. 5. Nullus.

Innoc. IV. in lib. 6. Decretal. lib. 2. tit. 5. c. 1. Frequens.

*De eo qui post veritatem repertam aliquid deinceps discutit.*

Ivo par. 16. c. 334. IX. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. Idcirco ab omnibus cautè agendum est.

*De causis quæ lege non continentur à iudicibus ecclesiasticis minime iudicandis.*

Eutychian. cp. 2. c. 4. X. Ut nullæ causæ à iudicibus ecclesiasticis audiantur quæ legibus non continentur, vel quæ prohibita esse noscuntur.

*De conversatione accusati vel accusatoris.*

VII. 110. XI. Quærendum est in iudicio cujus sit conversationis & fidei is qui accusat & is qui accusatur.

*De his qui Christiani nominis honorem neglexerunt.*

XII. Ut acculandi vel testificandi li. VII. 427. centia denegetur qui Christianæ religionis & nominis dignitatem neglexerint.

*Ut oblationes in domibus ab Episcopis vel Presbyteris non fiant.*

XIII. Quòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel à Presbyteris.

Concil. Laodic. c. 58.

Regino lib. 1. c. 151.

Burchard. lib. 3. c. 60. 82.

Ivo par. 3. c. 63.

Gratian. di. 1. de consecr. c. 1. Tabernaculum.

*Quòd posteriore pacto omne pactum dissolvatur.*

XIV. Omne pactum posteriori dissolvitur pacto. Homo verò liber statum suum & pejorare & immeliorare potest. Paulus lib. 1. Sentent. tit. 1. & lib. 2. tit. 11.

*Vide supra lib. 7. cap. 335.*

*De accusatoribus de inimici domo prodeuntibus.*

XV. Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non est credendum.

Symmach. in synodo Rom. V.

Gratian. 3. q. 5. c. 3. Accusatoribus.

*De fratrum provisione, ne irrationabiliter fiat.*

XVI. Ita consulendum est fratribus ut non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quod ædificavi destruo, prævaricatore me ipse constituo.

*De Clericis qui in seditione arma volentes sumpserunt.*

XVII. Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium in pœnitentiæ contradantur. VII. 117. Capitula Herardi c.

*Quòd lex Imperatorum non sit supra legem Dei.*

XVIII. Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

Nicol. I. ep. ad Episcopos Concil. Silvanect.

Burchard. lib. 15. c. 10.

Ivo par. 4. c. 86. & par. 16. c. 11.

Gratian. di. 10. c. 1. Lex.

*De confessione peccatorum in oratione Deo cotidie agenda.*

XIX. Quòd confessio peccatorum, excepta ea quæ sacerdotibus ad consilium accipiendum Deumque placandum fit, Deo frequenter in oratione fit facienda. VII. 111.

Burchard. lib. 4. c. 71.  
Ivo par. 3. c. 266.  
Gratian. di. 4. de consecr. c. 122.  
Si quis de alio.

Ivo par. 16. c. 334.

Eutychian. cp. 2. c. 4.

VII. 110.

*Quod spiritualis examinet omnia, & ipse à nullo examinetur.*

XX. Spiritualis iudicat omnia. Ipse autem à nemine iudicatur.

*Vt tempore menstruo ab uxoris abstineatur.*

VII. 235. XXI. Quod tempore menstruo omnino ab uxoris sit abstinentium.

*De his qui erga Episcopos vel erga actores Ecclesie aliquam querelam iustam habuerint.*

VII. 330. XXII. Si qui erga Episcopum vel actores Ecclesie quamlibet querelam habere iustam se crediderint, non Primates aut alios addeant iudices priusquam ipsos conveniant familiariter, non semel, sed sapissime, ut ab eis aut suam iustitiam aut iustam recipiant excusationem. Si autem secus egerint, ab ipsis & ab aliis communione priventur, tanquam Apostolorum patrumque aliorum contemptores, de quibus ait Propheta: *Erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt vobis.*

*De potestate ligandi atque solvendi concessa sacerdotibus à Christo.*

XXIII. Quod nosse oporteat laicos sacerdotibus ligandi atque solvendi potestatem à Domino esse collatam, & quod eorum monitis parere atque excommunicationi humiliter subumbere debeant.

*Vt Presbyteri qui sine præcepto Episcoporum ad externas Ecclesias transferunt, à communione suspendantur.*

VI. 85. XXIV. Presbyteri qui sine iussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tandiu à communione habeantur alieni quandiu ad eandem redierint Ecclesias in quibus primitus sunt instituti.

*De eo qui sibi iudicem contrarium senserit.*

VII. 240. XXV. Si quis iudicem pro quibuscunque causis adversum sibi senserit, aut habuerit fortè suspectum, vocem appellationis exhibeat. *Vide infra Addit. IV. cap. 18. & seq.*

*De pace & concordia & unanimitate.*

VI. 373. Conc. Mogunt. an. 813. c. 5. XXVI. Vt pax & concordia sit atque unanimitas in populo Christiano. Quia unum Deum patrem habemus in cælis, & unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum baptismum, ideo in una pace & in unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam veram hereditatem regni cælestis cupimus pervenire: quia non est dissensionis Deus, sed pacis, ut Mart. 1. ipse ait: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

*De potestate Episcoporum pro rebus ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.*

XXVII. Vt Episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas prævidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundum canonum auctoritatem. Volumus ut & laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defendendos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes sint Comitibus & iudicibus ad iustitias faciendas. Et ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium, lex iustam aliquo depravetur.

*De injuria Episcopi & letania subversa.*

XXVIII. Si quis Episcopo vel aliis ministris intra Ecclesiam injuriam fecerit, iubemus eum tormentis subjectum in exilio mori. Sed & si ipsa sancta oratoria vel divina ministeria conturbaverit, vel letaniam evertent, capitali periculo subiaceat. Sin autem contumeliam tantum fecerit, tormentis & exilio tradatur.

*De decimis.*

XXIX. Admonemus atque præcipimus ut decima Deo omnino dari non neglegatur, quam Deus ipse sibi dari constituit: quia timendum est ut quisquis Deo suum debitum abstrahit, ne fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

*Vt Ecclesie pacem habeant.*

XXX. Reum confugientem ad Ecclesiam nemo extrahere audeat, neque inde donare ad penam vel ad mortem, ut honor Dei & sanctorum ejus conservetur. Sed rectores Ecclesiarum pacem & vitam ac membra eis obtinere studeant. Tamen legitime componant quod iniuste fecerunt.

*De incestato Episcopo.*

XXXI. Si quicumque ex gradu ecclesiastico sine testamento & sine cognitione discesserit, hereditas ejus ad Ecclesiam ubi servivit devoluatur. Similiter de sanctimonialibus.

*Iterum de pace Ecclesiarum.*

XXXII. Præcipimus ut in Ecclesiis aut in domibus Ecclesiarum vel atris placita secularia minimè fiant.

Capitula Herardi c. 109.

Concil. Mogunt. an. 883. c. 21.

*De beneficiis ecclesiasticis.*

XXXIII. Quicumque beneficium

V. 158. DD dd iij

Conc. Mo-  
gunt. an.  
813. c. 41.

ecclesiasticum habent, ad recta Ecclesie restauranda vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent, & nonam & decimam reddant. *Vide infra cap. 100.*

*De ordinibus sacris.*

V. I. 118. XXXIV. Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, si clericatus honorem contempserint, curiali conditioni cum suis facultatibus subiciantur.

*De oblatione & pace in Ecclesia facienda.*

V. 160. XXXV. Oblationem quoque & pacem in Ecclesia facere jugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnum est remedium animarum, & in ipsa pace vera unanimitas & concordia demonstratur.

*Vt malum ebrietatis omnino vitetur.*

V. 162. XXXVI. Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere precipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.

*De multitudine Clericorum.*

V. I. 117. XXXVII. Ne passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat, sed secundum meritum vel redditum Ecclesiarum numerus moderetur.

*De spiritalibus filiis.*

V. 163. XXXVIII. Precipimus ut unusquisque compater vel proximi spiritalis filios suos catholicè instruant.

*Vt canticum luxuriosum circa Ecclesias deseratur.*

V. 164. XXXIX. Canticum turpe atque luxuriosum circa Ecclesias agere omnino contradicimus, quod ubique vitandum est.

*Quales sint Clerici.*

V. I. 116. XL. Nemo fiat Clericus nisi qui bonum testimonium habet & litteratus est.

Concil. Rem. II. c. 19.  
Capitula Herardi c. 108.  
Burchard. lib. 8. c. 92.  
Ivo par. 7. c. 110.

*De Episcopis & Abbatibus, ut ante se joca turpia fieri non permittant.*

XL I. Vt Episcopi & Abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Dei secundum Apostolum: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laudem Dei facite.*

Concil. Rem. II. c. 19.  
Burchard. lib. 1. c. 60.

*De justis judiciis ab Episcopis agendis.*

XLII. Vt Episcopi iudices judicia justa discernant. Quia sunt quædam modò judicanda, quædam Dei iudicio reservanda. Scriptum est enim: *Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum,*

1. Cor. 4.

*& manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique à Deo. Et illud memores sint: In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis.*

*De Clericis qui de Ecclesia desistunt.*

XLIII. Clericis de Ecclesia desistentibus, & aliis in loco revocatis, si redierint discessi, nil eis præstetur. Hoc verò quod discedentes reliquerunt, non in usu rectorum, sed succedentibus cedat.

*De monachorum & Canonicorum militia cum consilio utiliter implenda.*

XLIV. Vt monachi & Canonici plenter consilium habeant qualiter Deo militare animasque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem occasionem quarant vagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi delibolo.

*Viduas in delictis non oportere vivere.*

XLV. Vt vidua non sint in delictis, sed secundum Apostolum sub potestate Episcopi vivant, sicuti decet.

Concil. Rem. II. cap. 34.

Burchard. lib. 8. c. 40.

Ivo par. 7. c. 59.

*Vt Clerici non habeant actiones seculares.*

XLVI. Clericus vel monachus neque exactor publicorum rerum, neque conductor, aut vectigalium vel curationis domus, vel procurator litis, vel fideiussor in talibus causis fiat.

*De eo qui contra canonica statuta egerit.*

XLVII. Si quis contra hæc statuta fecerit, si Episcopus est, omnes res ejus ex quacunque causa vel persona, sive ante episcopatum, sive postea ad eum pervenerint, Ecclesie sue eas vindicare sancimus. Si verò Clerici ibi hoc fecerint, poenam pecuniarum, quam Episcopus exiitavenerint exigere, Ecclesie vindicandam.

Hi verò qui actiones suas eis commiserunt, vel fideiussores eos pro supradictis causis acceperunt, nullam contra Ecclesiam vel administratores ejus, vel adversus ipsas personas quos crediderunt, habeant actionem. Si verò quis eos pro publico debito vel exactione crediderit, vel fideiussores receperit, de substantia sibi debitum compellatur exsolvere.

*De eo qui res Ecclesie per falsam precariam vel fraudem adipiscitur.*

XLVIII. Vt si quislibet hominum res Ecclesie per mendacia vel mala ingenia in precariam sibi acquirere & habere voluerit, & post factas precarias eadem mendacia ad aures ejusdem rectoris Eccle-

V. I. 117.

Concil. Rem. II. c. 47.

V. I. 114.  
Julian. An-  
tec. nov.  
113. c. 8.

V. I. 114.  
Ibid.

Concil. Rem. II. c. 17.

fiat delata fuerint, ipsa Ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstracta fuerunt, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille verò qui res suas per eadem mendacia, propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem Ecclesie tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

*Quod antiquus mos penitendi, qui iuxta canonicam auctoritatem agendus est, jam ab usu recesserit.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 25.  
XLIX. Modò penitentiam agere iuxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur; ut à Domino Imperatore impetretur adiutorium qualiter, si quis publicè peccat, publica mulctetur penitentia; ut secundum ordinem canonum pro merito suo quis excommunicetur & reconcilietur.

*De Clerico ad tutelam vocato.*

L. Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus ad tutelam vel curationem vocentur, tantum munus administrationis in hoc conceditur suscipere; si tamen intra quatuor menses per competentem iudicem in scriptis manifestaverit quòd huiusmodi munus sua sponte recepit. Et tunc circa aliam tutelam præiudicium non patiatur.

*De Ecclesiis in rebus propriis constitutis & inter heredes divisis.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 26.  
Barthard.  
lib. 3. c. 42.  
Ivo par. 1.  
c. 46.  
LI. Perlatum ad nos est quòd inter heredes Ecclesie in rebus propriis constitutæ dividantur, & tanta per eandem divisionem similitas oriatur ut unius altaris quatuor partes fiant, & singule partes singulos habeant Presbyteros. Quod sine discordia & similitate nullo modo geri potest. Vnde nobis visum est quòd huiusmodi Ecclesie inter heredes dividi non debeant. Et si in contentionem venerint, & similitates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur donec illi ad concordiam redeant & pari voto atque consilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberè suum ministerium ibi peragere possit.

*De his qui bis aut ter ab Episcopis confirmantur, ignorantibus tamen eisdem Episcopis.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 27.  
Barthard.  
lib. 4. c. 50.  
LII. Dictum nobis est quòd quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus tamen eisdem Episcopis, confirmantur. Vnde nobis visum est eandem

confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere: quia qui bis vel amplius baptizantur aut confirmantur, non seculo sed soli Domino sub habitu regulari vel clericali religiosimè famulari decretum est.

*De Clericis ad tabulas ludentibus.*

LIII. Si quis Clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis adtendat, per tres annos à sacro ministerio prohibeatur. Et si dignam penitentiam fecerit, reconcilietur.

*De his qui servorum matrimonia dirimunt.*

LIV. Dictum est nobis quòd quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumptione dirimant, non adtendentes illud evangelicum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Vnde nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes, dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est ubi legalis conjunctio fuit & per voluntatem dominorum.

*De his qui pleniter peccata non confitentur.*

LV. Sed & hoc emendatione indigere perpeximus quòd quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, sollerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena fiat confessio; scilicet ut ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat, quia aut cogitatione, aut, quod est gravius, opere, eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel certè huiusmodi animæ pestes tanto periculosius ludent quanto subtilius serpunt.

*De sanctis Ecclesiis.*

LVI. Nullus sub Romana ditione constitutæ Ecclesie, vel sinodochie, vel monasteriorum rectores, earum rem immobilem nequaquam liceat alienare, id est, agrum, domum, mancipium, panes civiles, neque creditori obligare. (Alienatio enim est venditio, donatio, permutatio, emphyteusos perpetuus contractus) omnes omnino convenit ut se ab huiusmodi alienatione abstineant. Tabellio verò qui

Ivo par. 1.  
c. 244.  
Gratian. dl.  
3. de con-  
secr. c. 8.  
Dilectum est.

Julian. An-  
tec. rov.  
253. c. 15.

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 30.  
Lib. 2. leg.  
Longob. tit.  
12. c. 10.  
Barthard.  
lib. 9. c. 29.  
Ivo par. 8.  
c. 14. 167.  
& par. 16.  
c. 335.  
Gratian.  
29. q. 2. c.  
8. Dilectum  
est.

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 32.  
Barthard.  
lib. 19. c. 34.  
Ivo par. 15.  
c. 52.

II. 29.



talia instrumenta conscripserit, perpetuo exilio tradatur. Magistratus verò iudices, qui talia instrumenta consenserint, & dignitatem & facultates amittant.

*De his qui solummodo confiteri Deo peccata debere dicunt.*

Conc. Ca-  
bilon. 11.  
c. 35.  
Capitulare  
Theodulfi  
c. 30.  
Burchard.  
lib. 19. c.  
115.  
Ivo par. 13.  
c. 155.  
Gratian di.  
1. de penit.  
c. 90. *Qui-  
dam Deo.*

LVII. Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam, ita duntaxat ut & Deo, à quo remissio est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi, confitebor adversus me iniquitates meas Domine; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et secundum Apostoli institutionem confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata. Ea verò quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgantur peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor plerumque hanc præbet suæ potentia invisibili administratione, plerumque medicorum operatione.

*Quod personarum acceptio in omnibus cavenda sit iudicis.*

Concil. Ca-  
bilon. 11.  
c. 14.  
Burchard.  
lib. 19. c. 59.  
Ivo par. 13.  
c. 73.

LVIII. Quia igitur, Apostolotestante, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus iudiciis cavenda est, multò magis in hoc penitentia iudicio præcaveri debet ut nullus sacerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus personæ secus iudicet quàm quod in canonibus sacris invenit, aut quod illi secundum sanctarum scripturarum auctoritatem & ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem his quos sanare cupiunt, cauterio aut ferro aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multò magis his observandum est qui, non corporum, sed animarum medici existunt. Neque pensanda est penitentia quantitate temporis, sed ardore mentis & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit.

*De monachis & sanctimonialibus.*

V. 378.

LIX. Nemo audeat monachum vel sanctimoniales feminas ad civile iudicium accusare, sed ad Episcopum. Et ipse ex lege vel canonibus consentaniam sententiam proferat. Hæc omnes Episcopi custodiant, & omnes Præfecti Romani, &

Prætores populi, & provinciarum Præfides, ut curent citius monachorum & sanctimonialium lites dirimere. Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu positus, decem librarum auri poena multabitur. Si exsecutor est, in catenis Ecclesiarum recludatur, poenas luiturus, & officium perdat.

*Quod multi in penitentia delictis indulgeant.*

LX. Multi, quod non sine dolore dicendum est, in penitentia non tam peccati remissionem quàm temporis constitutioni expectant expletionem. Et si carnum & vini usus eis interdictus est, mutata, non voluntate, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, in tantum delictis suis indulgent ut delitiosius, his interdictis, aliorum ciborum vel potionum appetit vivere cognoscantur. Spirituales autem abstinentia, quæ in penitentibus potissimum vigere debet, & quorundam ciborum ac potionum perceptiones & desiderium fugere debet. Ille inquam, ille magis parsimonie servire censendus est qui sibi non solum quarundam rerum perceptiones sed delectationes corporis penitus interdicat.

*De his qui ex industria peccant.*

LXI. Sed nec hoc prætereundum putamus, quòd quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem quandam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim extinguit peccata, juxta illud, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata*, sed ea quæ aut necessitate, aut quæ casu, aut qualibet sunt fragilitate. Ea verò quæ ex industria ad cujuslibet libidinem explendam idcirco fiunt ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt: quia qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo idcirco quis peccare debet ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet quia peccavit. Mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

*De monacho qui monasterium suum dimiserit.*

LXII. Si monachus monasterium suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in monasterio introduxit, & quæ non introduxit, dominio monasterij sint, & ipse officio Præfidis servire cogatur. Si verò monachus ad alium monasterium migraverit, substantiam ejus prius monasterium possideat, & in alio monasterio ipse non recipiatur.

*Quod*

Concil. Ca-  
bilon. 11.  
c. 35.  
Burchard.  
lib. 19. c.  
146.  
Ivo par. 13.  
c. 158.

Concil. Ca-  
bilon. 11.  
c. 36.  
Burchard.  
lib. 19. c. 56.  
Ivo par. 13.  
c. 70. &  
par. 16. c.  
316.

V. 379.  
Julian. An.  
100.  
123. c. 61.

*Quod penitentia secundam canonam statuta agi debeat.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 38.  
Conc. Mo-  
gent. an-  
847. c. 11.  
Regino lib.  
1. c. 292.  
Burchard.  
lib. 29. c.  
28.  
Ivo par. 1.  
c. 88. &  
par. 15. c.  
46.

**LXIII.** Modus autem penitentia peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctorum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos penitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores; de quibus rite dici potest: *Mortificabant animas que non moriebantur, & vivificabant animas que non vivebant.* Qui dum peccatis gravibus leves quosdam & inusitato imponunt penitentia modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. *Vide Concil. Paris. VI. lib. 1. cap. 32.*

*Quod quidam Presbyteris absque consensu Episcoporum Ecclesias dent vel auferant.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 41.  
Burchard.  
lib. 1. c. 111.  
Ivo par. 5.  
c. 88.  
Gratian.  
16. q. 7. c.  
38. *Inven-  
tam.*

**LXIV.** Inventum est quod multi arbitrii sui temeritate, & quod est gravius, ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant vel auferunt. Unde oportet ut, canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero Ecclesiam det. Quam si injuste adeptus fuerit, hanc non sine culpa sua coram Episcopo canonica severitate amittat.

*De Scottis, qui se Episcopos esse dicunt, & quosdam absque licentia dominorum suorum ordinant.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 41.  
Burchard.  
lib. 1. c. 110.  
Ivo par. 5.  
c. 220.

**LXV.** Sunt in quibusdam locis Scotti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes absque licentia dominorum suorum sive magistrorum Presbyteros & Diaconos ordinant. Quorum ordinationem, quia plerumque in simoniacam incidit haeresem, & multis erroribus subiacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.

*De monachis laicis.*

V. 381.  
Julian. An-  
tec. nov.  
121. c. 63.

**LXVI.** Si monachus laicus factus fuerit, honore & cingulo expolietur, & res eius monasterio adiciantur. Quod si monasticam vitam reliquerit, Praeses provinciae eum teneat, & taxotas vel curiae suae connumeret.

*De his qui in cena Domini eucharistiam negligunt.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 47.  
Burchard.  
lib. 1. c. 120.

**LXVII.** In cena Domini a quibusdam perceptio eucharistiae negligitur. Quae quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus

Tom. I.

criminibus inhibita est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam penitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis dominici sacramenta reconciliant.

*Quod infirmi & egroti oleo benedicto perungendi sint.*

Ivo par. 1.  
c. 30.  
Gratian. di.  
1. de con-  
fiter. c. 17.  
In cana.

**LXVIII.** Secundum beati Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicuntur, a Presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *Infirmatur aliquis in vobis. Inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus. Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Non est itaque parvipendenda huiusmodi medicina, quae animae corporisque medetur languoribus.

*De sponsa vel sponsa in monasterio ingressa.*

**LXIX.** Si sponsus vel sponsa intraverit in monasterium, id quod arrarum nomine datum est, in simplum tantum reddatur.

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 48.

Iac. 5.

Julian. An-  
tec. nov.  
121. c. 57.

*De locis in quibus Missa celebranda sunt.*

**LXX.** In quibus locis & quo apparatu Missarum sollempnitates, exceptis basilicis, celebrari debeant, & utrum celebrari debeant, in Concilio Laodicensi ita scribitur: *Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris. De his quae ad aurium & oculorum pertinent oblectamentum, quaeque sacerdotes vitare debent.*

Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 49.

Supra c. 13.

**LXXI.** Quaecunque ad aurium & ad oculorum pertinent inlecebras, unde vigor animi emoliri posse credatur, ut de aliquibus generibus musicorum alisque nonnullis rebus sentiri potest, ab omnibus Dei sacerdotes se abstinere debent: quia per aurium oculorumque inlecebras vitiorum turba ad animum ingredi solet. Histriionum quoque turpium & obscenorum insolentia jocosum & ipsi animo effugere ceterisque sacerdotibus effugienda praedicare debent.

Conc. Tu-  
ron. III.  
c. 7.  
Concil. Ca-  
bilon. II.  
c. 9.  
Burchard.  
lib. 1. c.  
226.  
Ivo par. 5.  
c. 359.

*De Ecclesia aedificanda.*

**LXXII.** Nemo Ecclesiam aedificet antequam civitatis Episcopus veniat & ibidem crucem figat publice. Et ante praefinat qui aedificare vult quid ad luminaria & ad custodiam & stipendia custodum sufficiat. Et facta donatione, sic domum aedificet.

V. 382.  
Capitula  
Heraudi c.  
46.

*Ut sacerdotes a ludis secularibus se caveant.*

**LXXIII.** Sacerdotibus non expedit secularibus & turpibus quibuslibet inter-

Conc. Tu-  
ron. III.  
c. 8.

E E e

esse jocos. Venationes quoque ferarum vel avium minimè fecerunt.

*De Presbyteris & Diaconibus, ut Episcoporum suorum in bonis operibus vestigia sentiant.*

Conc. Turon. 111. c. 9.

LXXIV. Presbyteri quoque & Diaconi in omnibus bonorum operum exhibitionibus sui Episcopi vestigia sentiant, & in bonorum morum probitate, quæ Episcopo observanda sunt, eadem & sibi observanda esse cognoscant.

*De eo qui in domo sua oratorium fecerit.*

V. 183.

LXXV. Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibi potest. Tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine permisso Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Præfectus prætorij, qui hoc cognovit, & non prohibuit, librarum auri multabitur.

*Quantam curam Episcopi circa indigias habeant.*

Conc. Turon. 111. c. 10.

Concil. Paris. VI. lib. 1. c. 15.

Concil. Aquigr. 11. tit. 1. c. 7.

LXXVI. Episcopi quidem maximam curam & sollicitudinem circa pauperes habeant, & res ecclesiasticis Ecclesiis collatas cauta circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri gratia sectatores. Illis itaque utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

*De erogatione Episcopi in pauperibus & familia Ecclesie.*

Conc. Turon. 111. c. 11.

LXXVII. Quod liceat Episcopis, præsentibus Presbyteris & Diaconibus, de thesauro Ecclesie familie & pauperibus ejusdem Ecclesie secundum canonicam institutionem, juxta quod indigerint, errogare.

*De Diaconissa.*

Julian. Antec. nov. 6. c. 6.

LXXVIII. Si Diaconissa nupserit, gladio ultoris sternatur, & facultas ejus Ecclesie ubi servivit addicatur. Corruptores earum similiter puniantur. Bona verò eorum fisci viribus vindicentur.

*De Presbytero non ordinando ante legitimum tempus.*

Conc. Turon. 111. c. 12.

LXXIX. Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est, trigessimum ætatis annum. Sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in episcopio discendi gratia officium suum tamdiu donec possint & mores & actus ejus animadverti. Et tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur.

*De Episcopis, qualiter parrochias suas diligenter perscrutentur.*

Ibid. c. 13.

LXXX. Ut unusquisque Episcopo-

rum parrochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alterius parrochia in suam commigrans officium celebrare præsumat sine litteris commendatitiis, sicut olim multis in locis actum esse reperit.

*De religiosa muliere decepta.*

LXXXI. Si quis rapuerit vel sollicitaverit vel corruerit religiosam feminam, bona amborum Ecclesia vindicet in qua talis mulier habitavit. Ipsi tamen periculo capitali subiciantur. Quod si hæc mulier non confensit, cum suis rebus monasterij cautioni tradatur. Si verò liberos habet, pars legitima eis reservetur. Quod si intra annum post cognitum tale scelus à religiosis laicis non vindicetur, Comes privatarum hoc nostro fisco addicat. Si verò Præfex provincie vindictam tali crimini imponere neglexerit, cingulo careat, & quinque libras auri fisci viribus dare compellatur.

*Ut decimæ semper consulto Episcoporum dispensentur.*

LXXXII. Ut decimæ quæ singulis Conc. Turon. 111. c. 16.

dabantur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à Presbyteris ad usum Ecclesie & pauperum summa diligentia dispensentur. Ne quilibet Presbyter de titulo minore ad majorem transeat.

LXXXIII. De titulo minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum sit, sed in eo permaneat ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia qua & Episcopus qui de minori ad majorem transmigraverit sedem.

*De blasphemia in Deum.*

LXXXIV. Si quis quolibet modo blasphemia in Deum jactaverit, à Præfecto Urbis ultimo supplicio subiciatur. 77.

Qui verò talem cognoscens non manifestaverit, similiter coercetur. Si Præfectus Urbis hæc punire neglexerit, post Dei judicium nostram indignationem incurrat.

*De viduis juvenibus, ne citò velentur.*

LXXXV. Ut juvenes viduæ citò nequaquam velentur, usque dum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conversatio; ne fortè de eisdem dici possit ab Apostolo: *Quæ autem in delictis sunt, & Tim. 5. viventes mortuæ sunt.*

*Ut Comitibus & iudicibus Episcopis suis consentiant, ipsique eos honorifice recipiant.*

LXXXVI. Comitibus, iudicibus, Conc. Turon. 111. c. 17.

reliquoque populo expedit ut suis sint Episcopis consentientes & obediētes

propter Dei amorem sui que gradus honorem, & semper ab eis utile querant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter verò & Episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificeque erga eas in omnibus agant, & sic se mutus sublevare studeant consolationibus.

*De herede, si quippiam dispositione non implet.*

Burchard.  
lib. 35. c.  
14.  
Ivo par. 16.  
c. 37.

LXXXVII. Si heredes iussa testatoris non impleverint, ab Episcopo loci illius omnis res que his relicta est auferatur cum fructibus & ceteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur.

*Ut Comes & iudices viles personas non admittant ad testimonium.*

Conc. Tu-  
ron. 111.  
c. 34.  
Ivo par. 16.  
c. 37.

LXXXVIII. Summopere admonendi sunt Comes & iudices ne viles & indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere: quoniam multi sunt qui perjurare pro nihilo ducunt, in tantum ut pro unius diei fatietate aut pro quolibet parvo pretio ad iuramentum conduci possint, animaque suas perjurio perdere minimè formidant. Quam ob rem tales nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum, quòd non solum illi qui perjurant, sed etiam qui perjuris consentiunt, simili plerumque sunt damnatione.

*Ut nullus Christianus munera exigat pro quolibet placito.*

Conc. Tu-  
ron. 111.  
c. 37.

LXXXIX. Nullus Christianus pro quolibet placito vel iudicio à qualibet persona munera exigere aut accipere debet, quoniam id divina scriptura multis in locis magna interdicit auctoritate, testante scriptura, que ait: *Munera excæcant oculos sapientium, & subvertunt verba iustorum.*

*De rebus que paganis non conceduntur.*

XC. Non liceat Christianis Iudeorum neque paganorum vel hæreticorum res emphyteoticas vel conductionis titulo habere, neque suorum similiter eis accommodare.

*De placitis secularibus, ne in Ecclesiis fiant.*

Conc. Tu-  
ron. 111.  
c. 39.

XCI. Placita quidem secularia in Ecclesiis vel in atrii Ecclesiarum à Comitibus Vicariisque usque modò multis in locis habita ne ultra fiant interdendum est cum auctoritate dominica, qui expulsus de templo negotiatoribus adserit debere domum Dei domum esse orationis.

Tom. I.

*De incestuosis, parricidis, atque homicidis.*

XCII. Incestuosi, parricida, homicida multi apud nos, heu prohi dolor, reperiuntur. Sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis durare criminibus: quos oportet per secularis potentie disciplinam à tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerint revocari. quorum aliquos jam excommunicavimus. Sed illi hoc parvipendentes, in eisdem perdurarunt criminibus. Quam ob rem vestra decernat mansuetudo quid de talibus deinceps agendum sit.

*De magicis artibus & incantationibus.*

XCIII. Admonèant sacerdotes fideles populos ut noverint magicas artes incantationisque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedij conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quicquam mederi, non ligaturas ossium vel herbarum cuiquam adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perdidit genus humanum decipere nititur.

*Ne nomen Dei in vanum jurando assumatur.*

XCIV. Omnes homines admonemus ne per singula verba, quasi ad confirmationem suæ assertionis, nomen Domini in vanum assumant. quod ipse Dominus interdicit faciendum, ubi ait: *Ne assumes nomen Dei tui in vanum.* In vanum etenim nomen Dei assumitur quando aliquis ad singula verba quibus vult ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem testem rei de qua ait invocatur, eumque sibi ita esse adiutorem sicut ea vera sunt quæ loquitur. Nam & ipse Dominus in evangelio hoc modo prohibens omne genus iuramenti, *Nolite*, inquit, *omnino jurare neque per caelum, neque per terram, neque per caput tuum, & cetera.*

*De laicis, ne munera à Presbyteris exigant.*

XCV. Ut laici omnino à Presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesie: quia propter cupiditatem plerumque à laicis talibus Presbyteris Ecclesie dantur qui ad peragendum sacerdotale officium indigni sunt.

*De pace & concordia.*

XCVI. De pacis bono atque concordia, ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur inter Episcopos & Comites, inter Clericos & monachos, & omnem populum Christianum, ut beatus Apostolus Paulus docuit dicens: *Sedimini caritatem* Hebr. 13.

EE ee ij

11. 43.  
Ivo par. 16.  
c. 345.

Conc. Tu-  
ron. 111.  
c. 42.

Burchard.  
lib. 10. c.  
40.

Ivo par. 11.  
c. 65.

Gratian.  
26. q. 7. c.  
17. Admo-  
nenti.

Conc. Tu-  
ron. 111.  
c. 43.

Exod. 20.

Math. 5.

v. 148.

Concil. A-  
relat. VI.  
c. 21.

Hebr. 13.

& sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Et idcirco quicquid illud est quod nos ad veræ pacis studium & caritatis perfectionem provocat, totis viribus nostris sectandum est, quicquid nos verò ab illa disjungit, ut venenum mortiferum à nobis cavendum est.

*De Comitibus & iudicibus, ut obedientes sint suo Episcopo.*

Concil. Arelat. VI. c. 13.

XCVII. Ut Comes & iudices reliquique populus obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad faciendas justitias, & munera pro iudicio non accipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant iudicia justorum, quia scriptum est: *Injustitia elevat gentem, injustitia verò miseros facit populos.* Et Psalmista: *Beati qui custodiunt iudicium & faciunt justitias in omni tempore.*

*Vt Episcopi semel in anno parochias suas circumceant.*

Concil. Arelat. VI. c. 17. f. pupil-  
lorum

XCVIII. Vnusquisque Episcopus semel in anno circumceat parochiam suam. Noverint sibi curam \* populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt iudices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant. Etsi contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceret.

*De chrismate à Presbyteris custodiendo sub sigillo.*

V. 145. Capitulum I. an. 813. c. 17.

XCIX. Ut Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub pretextu medicinæ vel sub cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim sacramenti est, & non ab aliis nisi à sacerdotibus contingi debet. Quod si fecerint, honore priventur.

*De his qui beneficium habent de rebus Ecclesie.*

Suprà c. 11. Isaacit. 11. c. 13.

C. Ut quisque beneficium de rebus Ecclesie habet, ad resecta ejusdem Ecclesie restauranda vel ad ipsas Ecclesias adificandas omnino adjuvetur.

*De eo qui infamis furto efficitur.*

CI. Furti quocunque genere condemnatus infamis efficitur.

*De eo qui absens fuerit minimè damnando.*

VII. 204. 314.

CII. Iubemus in causa capitali ut absens nemo damnetur, quia neque absens per alium accusare aut accusari potest.

*De omnibus possessionibus à præceptore possessori reddendis.*

CIII. Omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante litem contestatam præceptor possessori restituat. Concil. Rom. V. sub Symmacho.

*In isto loco defunt quædam capitula.*

*De incestu, quod non sint legitimi heredes.*

CIV. Omnes nosse volumus quod incesti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notata utraque personæ. Ideoque proximorum copula vel stupra, quasi quædam turpissima pestis, cavenda est: quoniam incesti usque ad canonicam separationem Ecclesieque per publicam penitentiam satisfactionem magis inter energumenos vel audientes quam inter Christianos catholicos utriusque cum omnibus suis sunt habendi. V. 1. 410.

*Vt liceat litigatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare.*

CV. Iudices observare debent ut liceat litigatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare, & appellatores nec in carcerem redigant nec à militibus faciant custodiri. Sed agendum negotium suum liberi observent, nec etiam in supplicium destinatis appellandi vox denegetur. V. 11. 251.

*De oratione obedientis.*

CVI. Sciendum sanè est omnibus quia citius exauditor una obedientis oratio quam decem millia contemptoris.

*Vt unaqueque provincia à iudicibus propriis judicetur.*

CVII. Præcipimus ut non degradetur unaqueque provincia, sed apud semetipsam habeat iudices Episcopos. Et quicumque causam habuerit, à suis iudicibus judicetur, & non ab alienis, id est, à suæ justis iudicibus provincie, & non ab externis, nisi fuerit appellatum.

*Quod unanimumque justè & piè vivere oporteat.*

CVIII. Notum esse omnibus volumus quam justè, sobriè, quam etiam piè vivere debeant. Iustè enim vivere oportet secundum sermonem dominicum præipientem: *Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in celis est.* Hoc est. Sic justè vivite ut filij lucis nominari valeatis. Quod verò sobriè vivere debeat quisque monet evangelium dicens: *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate & curis hujus vite.* Piè etiam vivere vel patienter monet Paulus

exhortando dicens: *In omni patientia & doctrina.* Et cum pietate regere domum monet. Et ne ipsa pietas indiscreta videatur, præmittit sententiam dicens: *Argue eam omni imperio.*

*De gratia prolatore, ut eam adfirmet.*

VII. 354.

CIX. Statutum est ut scripturam prolator adfirmet. Nam si is qui scripturam protulit, ejus non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum.

*Quod sacerdos in habitu religionis persistere debeat.*

CX. Studendum sanè omnibus est ut in habitu religionis quisque sacerdos permaneat, & ore prophetico sibi met præcipi constat dicente: *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.* Quando dixit, *Clama, ne cesses,* omne tempus exclusit, quod nemo potest excusare. Etenim de libris officialibus, ut novimus, patet ratio: quia nequaquam corporeo usu hæc requirenda ab illis erant qui spiritaliter vivebant, dicente graphopsalmo: *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Nos tamen, qui in medio positi sumus, scilicet inter spiritalium & corporalem intellectum, in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum, & propheticum sermonem impleamus dicentem: *Injustitiam discite qui habitatis terram.* Et, quod avertat Deus à nobis, idem Propheta dicit: *Zelus adprehendit populum invidiosum.* Et iterum alius Propheta: *Sacerdotes ignoraverunt intelligentiam.* Et idem Propheta: *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus? & tenentes leges meas, nescierunt me.* Qua ergo fronte, qua conscientia sacerdotem nominari se fatetur quem Dominus per Prophetam nescire se dicit?

*De eo qui causam habuerit, ut à propriis Episcopis judicetur.*

CXI. Quicumque causam habuerit, à propriis iudicibus judicetur, & non ad alienos causas vagandi & proterviæ, dimitte sua patriam, transeat, sed apud Metropolitanum & reliquos Episcopos suæ provincie judicetur.

*De Canonicis Clericis qui in civitatibus vel in monasteriis degunt.*

CXII. Volumus atque præcipimus, sicut synodali atque canonica auctoritate à pastoribus sanctæ Ecclesiæ sæpissime admoniti sumus, ut Canonici Clerici, qui in civitatibus vel in monasteriis degunt, qui beneficia habent unde victum & vestitum habere possunt, ut hoc juxta Aposto-

lum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores & hi qui assidue in prædictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explent officium, nequaquam assumant aut in suis usibus convertant. Scimus enim quia absque periculo atque dispendio animarum suarum hoc nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & beneficio & præbenda; atque si gradibus fruatur ecclesiasticis, ipsis privetur.

*De communicatione Ecclesiæ cum nihil habentibus.*

CXIII. Quod habet Ecclesiæ, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficientiunt convenit erogare; quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.

*De his qui sua possident, & sibi aliquid dari volunt.*

CXIV. Nec illi qui, sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo unde pauper victurus erat accipiunt.

*De damnatis nuptiis.*

CXV. Si quis viduam uxorem duxerit, v. l. 168. & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupsierit, aut si qua duobus fratribus nupsierit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari, nec unquam amplius conjugio copulari, sed sub magna dilictione fieri.

*Ne proprius filius de baptismo suscipiatur.*

CXVI. Nullus igitur proprium filium v. 167. vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolum nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium aut filiam ad confirmationem tenuerit. Vbi autem factum fuerit, separentur.

*De subintroductis mulieribus.*

CXVII. Omnibus igitur Clericis feminam secum in domibus suis habere ultra licentiam canonum firmiter sit contradicendum.

*Iterum de pace Ecclesiarum.*

CXVIII. Præcipimus ut in Ecclesiis <sup>supra c. 31.</sup> aut in domibus Ecclesiarum vel atris placita secularia minimè fiant. *Vide supra lib. 4. cap. 23.*

*De fugitivis Clericis.*

CXIX. Vnusquisque Episcopus in v. 149. sua parrochia diligenter Presbyteros vel Clericos inquireat unde sint. Et si aliquem fugitivum invenerit, ad suum Episcopum redire faciat.

*Quid sint letanie.*

Conc. Mogunt. an. 813. c. 32.

CXX. Letanie autem Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter letanias autem & exomologesim hoc differt, quòd exomologesis pro sola peccatorum confessione aguntur; letania verò, quæ indicantur propter rogandum Deum & impetrandam in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur.

*De Clericis injustè tonsoratis.*

Ibid. c. 23.  
Burchard.  
lib. 8. c. 91.  
Ivo par. 7.  
c. 109.  
Lib. 1. Decretal. tit. 31. c. 1.

CXXI. De Clericis verò hoc statuitur, ut hi qui hæcenus inventi sunt sive in canonico sive in monachico ordine tonsorati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permanent. Et deinceps cavendum est ut nullus tondatur nisi legitima ætate spontaneaque voluntate, vel cum licentia domini sui.

*De eo quid sit relinquere mundum.*

Conc. Mogunt. an. 813. c. 16.

CXXII. Seculum autem relinquere est, sicut Gregorius dixit, seculi voluptatibus contraire. Hinc Paulus admonet dicens: *Qui emunt, tanquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Et Gregorius in libro pastorum: *Sic vobis ea quæ suppetunt exterius serviant quatinus à supernæ dilectionis studio animam non flectant.*

*Quòd incestum committit qui se consanguineæ suæ usque affinitatis lineam conjungit.*

VII. 432.

CXXIII. Nullus fidelium usque affinitatis lineam, id est, usque in septimam progeniem, consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis verò hoc scienter temerare præsumserit, si liber fuerit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos fisco nostro persolvat, & insuper canonicè ut incestus luat, ac publicè juxta canonicos gradus pœniteat. Si autem servus vel ecclesiasticus fuerit, publicè flagelletur ac decaluetur, & juxta Episcopi proprii jussionem pœnitentiam publicè & canonicè gerat. Quòd si aliquis tam liber quàm servus aut ecclesiasticus vel fiscalis Episcopo proprio vel suo sacerdoti aut Archidiacono inobediens vel contumax sive de hoc sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res ejus à Comite & à Misso dominico ei contendantur usque dum Episcopo suo obediat, ut canonicè pœniteat. Quòd si nec se ita correxerit, & ad Episcopum & canonicam pœnitentiam venire distulerit, à Comite comprehendatur, & in carcerem sub magna

ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque Episcopus jusserit. Quòd si Comes vel ejus minister hoc adimplere distulerint, canonicè ab Episcopo suo vel à suo ministro excommunicetur; & usque dum hæc pleniter adimpleat, semper communione catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humanis erga eum aliquid agere placuerit. Si verò, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis causis aut de ipsa excommunicatione inobediens aut neglegens apparuerit, honore comitatus pœnitentè & communione careat, usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum episcopali auctoritate atque imperiali metu ita corrigamus ut ceteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant.

*Ut incesti, quandiu in scelere manent, non fidelium Christianorum, sed tantum aut gentilium aut catechumenorum ver energumenum locum teneant.*

CXXIV. Incesti, dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles aut catechumenos vel energumenos habeantur, id est, cum Christianis non cibum sumant, non potum, non in eodem vasculo edant aut bibant, sed soli hæc faciant. Non osculentur aut saluten-  
VII. 431

tur ab eis. Sed si sui sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefandissimo scelere se segregare atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus ipsa per se Veritas ait: *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Nam cum fidelibus non debent orare, nec in Ecclesiam intrare, sed ante januam Ecclesiæ excubare, & intrantibus in eam atque exeuntibus ex ea, vultu in terra prostrato, veniam postulare, & ut pro se orare non dedignentur flagitare, & lacrymis perfusi, vultu contrito, atque humiliato spiritu semper omnibus apparere usque ad satisfactionem Ecclesiæ & proprii Episcopi canonicam reconciliationem, & ad pristinum incestum nunquam redire, nec secularia negotia exercere, nec placitis aut accusationibus vel testimoniis interesse, sed crebris sacerdotum precibus manûsque Pontificis proprii impositionibus, & elemosynarum largitionibus, atque ceterorum bonorum operum exhibitionibus eos purgari sanarique oportet.